



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641293-p0001-8

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641293-p0002-4

DFG

LXXXV.
1694. 2. b
Disputatio Inauguralis Juridica,
De
**RESERVATIS DIVI-
NÆ MAJESTATIS,** 5
Quam
DIVINA FAVENTE GRATIA,

Ex Decreto

Magnifici Factorum Ordinis,
IN ILLUSTRI FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO BODEN, JC.

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTORIS
BRANDENBURGICI CONSILIARIO CONSISTORIALI,
DUCATUS MAGDEBURGICI GRAVISSIMO AC ALMÆ
HUJUS FRIDERICIANÆ PROFESSORE JURIS
CELEBERRIMO,

PATRONO SUO DEVENERANDO,
PRO LICENTIA

SUMMOS IN JURE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,
Ad Diem 28. Junii M DC XCIV.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS,

PUBLICO EXAMINI ~~SUBMITTIT~~

**CAROLUS ADOLPHUS Redel/
Hallensis Saxo.**

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTOPH. SALFELD, REGIM. ELECT. BRANDENB. Typ.





I. N. J.

Cum amplius post lapsum Adami homines quæ
sui officii erant, expedire nollent, opus fuit, ut
autoritate superiori hominum libido aliena ra-
piendi & aliis modis justitiam transgrediendi
refroeneretur & injuste commissa in judicia-
lem decisionem vocarentur, quod ab initio
qvidem immediate ab ipso Deo, tanquam o-
mniū in Conditore & Domino, non saltem in Theocratica Judæ-
orum Repl. sed deficiente alio Magistratu humano, temporalibus
coercitionibus expeditum fuisse legimus. Gen. 3. v. 10. & seqq. c. 4.
§. 9. & seqq. 2. Sam. 12. v. 7. & seqq. & c. 24. v. 12. & seqq. Et passim.
Postquam vero homines pro mutua defensione in societas coie-
runt, externum Imperium in imperantes & Magistratus ita
translatum, ut quantum ad conservationem legitimæ societatis
pertinet, ea, quæ sub humanam cognitionem cadunt per illos di-
rigantur & decidantur. Et hoc quidem vel expresso vel tacito
ipsius Dei consensu, quo Imperium hominis in hominem Impe-
rantibus & Magistratibus concessit. vid. Gen. 9. v. 6. Exod. 18. v. 13.
& c. 21. v. 1. Num. 11. v. 16. & seqq. c. 27. v. 18. & passim aliis locis.
Cum autem quidam hominum nullo judicio humano subjiciantur,
ac nonnulla negotia sub cognitionem humanam non ca-
dant, in aliquibus quoque totum negotium judicio divino com-
mittatur, aut objectum tale sit, quod humano Imperio non sub-
jectum, varia divinæ Majestatis reservata, de quibus decidere
homini nefas erit, remanserunt, de qua Nobilissima Materia pau-
cis agere constitui, & quidem propter objecti Amplitudinem
& Eminentiam, & ingenii tenuitatem non uti decebat, sed pro
posse, brevibus casus ostendendo, in quibus humanum Judici-
um cessare debeat.

A 2

CA-

3

CAPUT I.

De

RESERVATIS DIVINÆ MAJE- STATIS IN GENERE.

§. I.



Ppellamus Reservata divinæ Majestatis illa jura, quæ solius divinæ Majestatis dispositioni relicta, tam circa promulgationes quam dispensationes & pœnas humano Judicio exempta sunt. Dari autem talia reservata divina, quæ hominum dispositioni etiam quoad promulgationes & dispensationes plane exempta sunt, ex eo colligimus, quod quædam actiones adeo vel secundum vel contra voluntatem divinam sint, ut illis regulariter consideratis, nulla humanæ potestatis iuste contrarium earum, præcipi vel vetari & à nullo homine aliud quid committi possit.

§. II.

Ad reservata autem Divinæ Majestatis spectant primo omnium, dictamina juris naturæ quatenus talia, quæ tanquam divina quadam providentia constituta semper firma & immutabilia permanent, §. pen. Inst. d. f. N. G. & C. Unde illa leges universales vocantur, ad quas scilicet totum genus humanum est adstrictum, & perpetuæ, quæ mutationi sicut positivæ leges non sunt obnoxiae. Pufend. d. Jur. N. & G. l. 2. c. 3. §. 1. Scilicet Jura hæc ita cum conservatione universi, voluntate Dei ac totius Generis humani Genio & bono convenient, ut sine malo à nullo mortali mutari possint. Cum ergo divina Majestas naturam sub hac lege creaverit, ut constat, & ideo ejus conservationem semper intendere præsumenda sit, à nulla Majestate humana tanquam vicariatum Dei in terra gerente, leges divinam hanc naturalem & cum naturæ conservatione cohærentem legem mutantibus sanciri possunt. Ut ita non immerito ad reservata divinæ majestatis hæc dictamina Juris naturæ referantur, & necessitatem

mo-

moralem à nulla humana lege infringendam his actibus inesse, recte dicat *H. Grot. d. J. B. & P. l. i. c. 1. §. 10.* Qvoad homines ergo illa regula salva manet, non posse illos disponere de præceptis Juris naturæ, & illa respectu illorum immutabilia esse. *Add. Beccan. ad Grot. l. i. c. 1. §. 10. n. 9.*

§. III.

Sed an præcepta illa ad reservata divinæ majestatis referri possint, sc. an ipse Deus præcepta juris naturæ mutare possit, altera & operosior quæstio est. Negat id *Grot. d. J. B. & P. l. i. c. 1. §. 10. n. 5.* & implicare credit, Deum mutare jūs naturæ, sicut non posset efficere ut bis duo sint quatuor, & inde hanc regulam ad distingvendum jūs naturæ à jure divino voluntario ponit, *ibid. §. 15.* Qvædam Deus voluit, quia justa sunt, qvædam justa sunt, qvia Deus voluit. Ut ita præcepta juris naturæ & respectu Dei necessaria statuat. Sed jūs naturæ à beneplacito divino dependere eleganter deduxit *Puf. d. I. N. & G. l. 2. c. 3. §. 4.* & hunc Grotii locum hac ratione correxit. Non obstat enim, quod Grot. jūs naturæ intrinseca ratione malum dicat ideo, quod cum esse rerum pugnet; hoc enim respectu hominum quidem jam supra concessimus, sed respectu Dei nihil infert, cum enim Deus esse rerum mutare irno destruere possit, omnino eadem potestas ipsi respectu præceptorum ad naturæ conservationem pertinentium relicta. *Add. Idn. Bodin. Disp. d. Jure Mundi §. 23.* Nam ut omnes actus fuere indifferentes, antequam conditionem certam indaret divina. Majestas naturæ, ita adhuc tales respectu Dei manent, nam sicut Deus potuisset naturam ita formare, ut contraria illis, quæ jam præcepta sunt, fuissent licita, ita adhuc ipsi liberum est, in hunc modum naturam reformare. Nam illa omnia ideo justa sunt, quia convenient cum voluntate Dei & amore proximi, vel contraria injusta, quia veniunt ex odio proximi, Deus autem homines ita creavit, ut per eorum amorem & socialitatem, mundus & ipsorum genus conservaretur, non tamen omnipotenter divinæ impossibile est, per alium modum illud efficere, er-



go omnino non ad absolutam aliquam necessitatem, ad quam & Deus circa præcepta Juris Naturæ in productione hominum adstrictus fuisset, sed ad beneplacitum divinum hic recurrendum. Sed inde haud fas est elici, dicemus cum *Pufend. ibid. §. 5.* Deum velle jus naturæ tollere aut immutare, quamdiu naturæ humanæ nullam mutationem infert aut aliud nobis manifestat, & quamdiu actiones, naturali lege præceptæ naturali consequentia ad socialitatem, qua temporaria felicitas generis humani continentur, faciunt, eidemque contrariæ pari necessitate hanc destruunt, i. e. quamdiu beneficentia, humanitas, fides, gratitudo & similia viam habebunt animos hominum conciliandi, perfidia, injuria, ingratitudo eosdem irritandi.

§. IV.

Sed obstare videtur, quod ius naturæ convenire dicatur, cum imagine divina, ut ergo Deus faceret contra imaginem, si illud mutaret, & homo illam læreret, si contra illud peccaret, & sic natura Dei læreretur per actiones nostras. Verum si hoc statuere vellemus, deberemus recurrere ad aliquod principium coæternum cum Deo, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habuerit, & quod ipsius imaginem extra se formaverit. *Pufend. l. i. c. 2. §. 6.* quod blasphemum esset asserere ergo necessitatem aliquam intrinsecam in præceptis his nullam concipere possumus. Hinc non imago sed voluntas divina per præceptorum Juris naturæ violationem læritur. Quicquid ergo Deus facit, illud est justum, & planè aliam naturam habet quam si homo illud ficeret, quia homo in Deum non habet jus quæsumum, sicut homo in hominem. Deus enim majus & eminentius adhuc habet Dominium in nos homines, quippe à quo totum esse nostrum dependet, quam nos in bestias. *Quo cum consentit illud Pauli ad Rom. 9.* *Quid est homo, ut cum Deo litiger?* Dicitne opus ad opificem, quare me ita effingis? Scimus enim, si Deus occidit, aut occidere præcipit, prout fecit Abramo ut mactaret filium, illud homicidium non posse vocari, sed potius exercitium Juris vitæ & necis, quod Deus habet in homines atque suas creaturas. Sic cum populo Israelitico Ægyptiis vasa auferre præcepit, quis diceret, illud

Iud furtum esse, cum omnia quæ posidemus, ejus sint, & à bonitate sua ad nos perveniant.

§. V.

Videmus ergo, quod nos juris naturæ præcepta respectu scilicet nostrum dicimus, in Deum aut plane non cadere, ut fornicari, moechari &c. aut respectu Dei aliam plane rationem habere, ut occidere, furari, aut contradictionem in Deo involvere, ut Deum non colere, promissa non servare. Quis enim ita argumentaretur: Deus non potest constituere, ut blasphemiiis aut contemptu colatur, ergo non potest facere contra præcepta Juris naturæ. Scimus hominem esse rationalem, cui Deus indidit facultatem res prout sunt apprehendendi, videt autem Deum tanquam principium suæ existentiæ, & Ens sumum, à quo omnia dependent, summopere esse colendum, contradictionem autem involuere colere, & non colere, sive blasphemiiis efficere, exercere aliquid tamquam signum æstimandi eminentiam divinæ naturæ & divini Imperii, quod directe & per se contrarium ejus notat. Sicut ergo Deus efficere non potest, ut facta fiant infecta, ita & hoc non potest, & ob id omnipotentia suæ nihil detrahitur & immutabilitas juri naturæ respectu Dei non conciliatur. *Conf. Puf. l. 2. c. 3. §. 4. H. G. d. J. B. & P. l. 1. c. 18. 50. n. 5.*

§. VI.

Eadem ratio est in præcepto de promisso servando. Quod Deus promittit, non potest non servare, nam promissa non servare, ex potentia aut inscitia provenit, utrumque in Deo concipere blasphemum est asserere. Ergo Deus non potest non servare promissa, homo non debet non servare. Sed si conciperemus Deum non amplius velle ut coleretur ab hominibus, cognitionem sui, & facultatem ipsum colendi illis auferendo, qui diceret hoc ipsum facere non posse aut Deum aliquid expresse ita dicere, ut non vellet facere, quis ipsum cogeret. Nam quod de sanctitate & Justitia Dei dicitur, illud hominem obligat, non Deum, in quo sub nomine sanctitatis & justitiae longe aliud quid concipiendum. Sicut enim Deus se gerit adversus homines, ita homines invicem se gerere non debent. Inter homines sanctus dicitur,

qui



qui vitiis abstinet, & officii memor est, quis hunc in modum sanctitatem Dei concipiet? Justus inter homines est, qui ne ninem lœdit & suum cuique tribuit, Deo autem jus est omnia destruendi. Per sanctitatem ergo in Deo nihil aliud concipiendum, quam inviolabilitas & veneratio subiectissima hominum. Per justitiam divinam intellige vindictam acrem & gravem factorum quæ mandata & voluntatem ejus lœdunt. Prout in sacris pasim sanctitas & justitia hoc modo accipiuntur. Rechte ergo ad reservata Divinæ Majestatis præcepta Juris naturæ referuntur, quippe de quibus Deus solus disponere & dispensare potest.

CAPUT II.

De

RESERVATIS DIVINÆ MAJESTATIS
IN CAUSIS DIVINIS.

§. I.

DE Reservatis Divinæ Majestatis in causis specialibus aucturi primo omnium causas divinas examinabimus: Omnium enim legum tam divinarum quam humanarum merito hæc prima est: Deum esse colendum, quippe à Deo tota natura dependet, ita ut ab ipso in iectu oculi subverti posset, dum igitur homo cognoscit, ex gratia omnipotentis Numinis omnem suam salutem dependere, ac inter omnes naturas corporeas solum homines per umbram aliquam imaginis Divinæ Deum quodammodo cognoscere possint, ita loco totius naturæ illum colere tenentur, quia tamen ob depravatum nostrum intellectum, nec conditio nem nostram in hac & altera vita, multo minus immensum universi Dominum recte cernoscere, neque cognita nostra miseria, & quam sœpe contra voluntatem justissimi judicis inpingamus, ex solo naturæ lumine scire possumus, quomodo Deus placari & homo ei reconciliari queat, ideo naturaliter homo ferri videtur ad sollicitate indagandam sanctissimi Dei voluntatem, de ipsius cultu singulariter revelatam, quam revelationem sacro Codice, contentam subditis persuadere majestates humanæ omni possibile modo quidem tenentur. Illud vero vi & suppliciis an efficere debe-

debeant, merito dubitatur. Nos hoc negamus & ad Reservata Divinæ Majestatis spectare asserimus. Deus enim satis potens esset, ipos evertendi si vellet ; judicio ergo divino relinquenti sunt. Scimus enim Religionem esse rem conscientiæ, quæ omnino extra potestatem & coactionem humanam est. Unde Christus ipse impossibile judicat, ut quis humano Imperio ad legem suam perduceretur. *Evang. Joan. 6. v. 7.* Quo respicit Canon Concilii Toldani ubi dicitur c. 6. d. *Judeis dist. 45.* Præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. Si autem religio talis sit quæ turbas in Republ. excitet, aut homines moraliter malos efficiat, gravissimis pœnis potestas externa illam extirpare poterit, secus si contra. Hinc Christiani injuste à Romanis Imperatoribus fuerunt afflicti, non enim destructionem Reipl. moliebantur, nec unquam partibus seditionis accesserunt. *Qvod Tertullianus hisce verbis profitetur.* Circa Majestatem imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani vel Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani. Magis Recte Imperatores Christiani toleraverunt Judeos & Paganos l. 5. C. d. *Pag.* & religiosa Judæorum loca intacta præstiterunt l. 4. C. d. *Jud.* & *Coel.* Præcipere tamen & hoc casu potest summa civilis majestas, ut aliam, quam ipsa permisit religionem publice profidentes ac sectantes exditionibus ejus emigrent, & non recipiantur diversæ religioni addicti. Nam melius cum Republica agitur, ubi una, quam ubi plures religiones vigent. Religio enim est vinculum animorum validissimum præsidium Reipl. concilians. *vid. Machiav. ad Liv. c. 15.*

§. II.

Sed quid de rebus & locis sacris præcipue alterius religionis in statu bellico judicandum ; an illa ab hoste de vastari, aut in alios usus verti possunt ? Præmittendum existimo, Res, quæ sacræ dicuntur, proprie & in se sacras non esse, sed potius publicas, ut pote publica autoritate ad certum sacrum usum destinatas, & ob id legibus positivis civilibus commerciis aliis humanis exemptas. *Grot. l. 3. c. 5. §. 2.* Unde necessitate urgente illæ iterum in profanos usus converti possunt l. 83. §. ff. d. *Verb. obl. auth. hos jus pro rectum cum seqq.* & l. 21. cum *Auth. seq. C. d. SS. Eccl.* Multo magis

B

ergo

Ergo post occupationem hostilem qualitatem illam amittunt & aliam recipiunt prout recte illud l. 36. ff. d. Relig. decidit. ubi dicitur, cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt sacra esse, cum ergo hosti in hostem omnia liceant, potest templo hostium destruere, sc. ut hac ratione destructionem illius status Reipl. vel religionis eo magis promoteat. Sic ipse Deus præcepit Populo Israelitico, ut altaria hostium destruant, simulacra rumpant, lucos abscindant, idola igne comburant Deut. 5. v. 4. Qvamvis autem res sacræ & loca sacra possint violari, eo qvod sic desinunt esse talia, qvia tamen sanctum semper debet esse nomen Dei, ac Deus ut summus summe sit colendus, isqve neglecti cultus sui index sit gravissimus, hinc in reservato Dei judicio vindictam ejus non levem experientur, qvi præprimis in bello injusto loca ad verum Dei cultum destinata sine justa causa devastare, ac sic Deo potius ac humanitati, qvam Reipl. bellum inferre ausi fuerint. Præcipue si ejusdem sint religionis. Grot. l. 3. c. 5. §. 2. n. 4.

§. III.

Ex dictis sequitur gravissime peccare illos, qvi sanctissimo nomine Divino ad perjuria abutuntur, & omnipotentis severi simul & omnisci judicis vindictam ipsimet provocant, perjurium enim nihil aliud est, qvam calumniatio nominis divini, & inde non male ad speciem criminis læsæ majestatis divinæ refertur. Carpz. pr. Crim. p. 1. C. 46. n. 1. Sed an punitio hujus criminis ad majestatem humanam pertineat, an ad reservata divinæ majestatis spe etet, multum disqviritur à Doctoribus. In jure qvidem civili fit mentio pœnæ perjurii l. 22. ff. d. dol. mal. & per leges perjuria puniri dicitur l. 2. C. d. Jud. Viduit. Imo Genera pœnarum exhibentur l. 13. in fin. ff. d. Jurejurando, ubi fustigatio loco pœnæ perjuris dictatur, & Infamia l. 16. C. ex qvibus cauf. infac. irrog. Et hodiernis moribus additur amputatio duorum digitorum, qvod vulgo fundatum existimant in ordinat. Crim. art. 107. 108. Sic vindicentur secundum Jus Civile, Canonicum & mores hodiernos, perjuri pœnæ externæ in humano judicio dictandæ subjacere, contrarium tamen tam de jure moralı, qvam positivo humano, ve- tius esse statuimus, cum qvod omnes dictæ pœnæ multo leniores deli-

delicto sint, qvippe qvod criminis læsæ maiestatis divinæ species est, prout superius diximus & ad altrocisimum utique supplicium perveniendum esset, si pœna delicto proportionata applicari deberet, tum etiam, qvod per jusjurandum ipsius judicis autoritate & consensu partium veritas & fallacia jurantis ad Dei tribunal remittatur, unde omnino ultio perjurii divinæ maiestati relinqvenda est. Qvod satis innuit l. 2. C. d. reb. Cred. & jurejur. ubi jurisjurandi religio satis Deum ultorem habere dicitur, imo ipsam maiestatem divinam sibi hoc delictum puniendum expressè reservare, ex ipsa ejus lege patet. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, qvia non impunitum relinqvet eum Dominus qvi nomen ejus vane usurpaverit. Ubi expressis verbis pœnæ divinæ reservatio additur, qvæ nulli præcepto immediate adjecta. Probatur id Exemplo Israélitarum, qvi promissa jurata Gibeonitis non præstantes fame puniebantur & septem filii Saulis propterea suspendebantur l. Sam. 21. Et huic opinioni supra allegata. Juris Civilis & positivi loca pœnalia non obstare, conflictus ostendet, illud tamen non negandum, posse civilem maiestatem transgressionem fidei jurejurando datæ pro re nata seu damno, qvod exinde Reipl. vel privato imminet, coercere, non quatenus perjurium factum, sed quatenus Respubl. vel privatus ex transgressione fidei, licet non juratæ læsæus, nisi qvoad privatos etiam de hoc transactum sit, uti sit in jurejurando judiciali voluntario, cuius falsitas exinde nullæ pœnæ externæ subjacet. vid. l. 1. & 2. C. d. reb. cred. & jurejur. in certis tamen casib[us] injustum lucrum executiendum. vid. l. fin. dict. tit.

§. IV.

Huc qvoque referendum juramentum prædoni præstitum, sc. & hoc, qvi non servaverit, reservati judicii Divini reum esse, scimus illud in foris humanis non puniri, & dissimulari delictum in odium latronis ut dicit Grotius, nec à qvibusdam pro perjurio formaliter reputari, qvafsi coactionem involveret. Nihilominus tamen cum hic detur electio potuisset enim jurans præoptare mortem, & ita non jurare. Ob qvam rationem in foro divino salvus talis non est, non enim spectandus hic cui juratur, sc. Iatro qui

nullum jus exigendi habet, sed qvijuratur Deus. Ut bene monet.
Grot. l. 2. c. 13. 15.

§. V.

Sed an hoc ad Blasphemiarum crimen extendendum sit sc. an & illud ad Reservata divinæ Majestatis spectet, alia quæstio est. De qua statuimus, Regimen Externum seu potestatem politicam, ea quæ ad societatem inter homines custodiendā pertinent, tantummodo dirigere, non autem inter Deum & hominem judicare posse, quatenus ergo in ipsum divinum numen committitur, eatus solum Deum ultorem habebit, nec humanæ pœnæ subjacet, quatenus vero blasphemus simul publica contra cultum divinum obtræctatione societatem humanam lædit, ac ita malum exemplum præbet, religionem tanquam arctissimum vinculum societatis offendendi, eatus pro periculo exinde Reipl. imminentis externis pœnis subjici poterit. Mach. ad Liv. c. 14. Notum quidem, jure divino mortis pœnam in Blasphemos statutam esse, dum extra civitatem producti & lapidibus obruti sunt Levit. 24. §. 13. 14. & seq. Et Jure Civili Blasphemi etiam suppicio afficiuntur. Nov. 77. c. 1. §. 2. nec nego, gravioribus circumstantiis positis, quibus scilicet civitas maximopere læsa ac turbata dicatur, gravissimam mortis pœnam infligi posse. Ast hæc omnia tantum respectu Reipl. ita se habent, Dei enim cultu sublatu vinculum societatis humanæ & omnium virtutum corruere necesse est, ut solidissime illud declarat Grot. l. 2. c. 20. & Machian. d. l. Cæterum in plenisque regnis pœna capitalis Blasphemiarum ab usu recessit, prout illud declaratur. Nicol. Bocer. Decis. 301. n. 15. Matth. Berlich. p. 4. Conc. 1. n. 49. Didac. Covarr. c. 2. p. 1. §. 7. n. 22. Et hodiernis Imperii Rom. moribus modo pœna pecuniaria, modo corporis afflictiva, modo carceris & ademptionis bonorum infligitur, prout Recessus Imperii variis illud declarant quos allegat Carpzov. pr. Crim. p. 1. C. 45. ut ita arbitraria pœna hodiernis moribus esse videatur. Et potissimum locum sibi vendicat, abscessio linguae, tanquam instrumenti, quo horrendum illud crimen committitur, addita fustigatione aut relegatione. Constit. Elector. 1. part. 4. Ordin. Torgav. scilicet ut hac ratione segregetur à civitate & impediatur ne imposterum tale cri-

men



men committat, reliqua autem pœna majestati divinæ reservatur,
tanquam gravissimo Vindici sancti sui Nominis.

CAP. III.

De

RESERVATIS DIVINÆ MAJESTATIS IN
CAUSIS HUMANIS.

§. I.

INTER causas humanas primo loco merito ponimus causas principum, quippe quæ potissimum ad Reservata Divinæ Majestatis pertinent, cum enim principes superiorem in terris Judicem non habeant, non facile inferioribus jus suum adversus illos in foro humano expediendi locus datur, quamvis enim si naturam spectemus pares simus, ordo tamen Imperantium & parentium ob commune generis humani bonum introductus & à Divina Majestate approbatus est tam in lege Hebræa, quam fœdere novo. Deut. 15. 1. 12. Jos. 18. Rom. 13. ut ita illorum tanquam vicariorum Dei sit imperare, & nostrum parere, merito ergo disquirimus, quousque illorum imperare & nostrorum parere se extendat, an etiam ad illa quorum contrarium Deus præcepit aut vetavit? Qvod jam dum discussimus in Cap. I. ubi de præceptis juris naturæ egimus, & posuimus contra illa neminem nisi solum Deum quam disponere posse. Ut ergo illud Apostoli huc quadret, Deo magis obtemperandum quam hominibus.

§. II.

Sed quid si uni alterive subditorum vim injustam inferat, aut ad iniqva cogere velit sub proscriptionis vel corporis & mortis pœna, an illis resistendi licentia dabitur, ut omni vi repellant? Negamus, subditi enim sunt membra totius corporis Reipubl. qui ad totum conservandum etiam cum destructione sui concurrere debent, periclitatur autem salus Reipl. si princeps capite suo privetur. Tranquillitatem enim publicam, in qua & singulorum salus comprehenditur, per potestates publicas consequimur Grot. I. 1. §. 4. & malum, quod hic & nunc sit uni, bono, quod à po-



testatibus publicis, ut plurimum & pluribus sit, compensatur, inde etiam duris Dominis obtemperare præcipit. *Paul. i. Epist. II. v. 18. Grot. I. c. 4. §. 4.* & sic pœna illius mali, qvod hic vel ille perpessus, ad reservatum Judicium Divinum spectat. Idem de principe omnibus vitiis inquinato, dicendum. Imo extendo hoc etiam ad casum, ubi per certam capitulationem juratam obligatur princeps ad privilegia servanda, & illa infringit, etiam si religionem mutet, manet enim nihilominus princeps, & omnino Reipublicæ tranquillitas maxime in hoc consistit, ne vitiis principum vi resistere liceat, alias enim nunquam deesset materies seditionis in populo, principem de Throno deturbandi, prout *Carpz. d. Leg. Reg. cap. 14. v. 1.* fusissime hoc examinavit, ac historia Davidis & Sauli luculenter hoc probat.

§. III.

Sed si princeps non libidine aut iracundia aut aliis affectibus erga certas personas ductus à Recta via deflectit, sed animo Reipubl. evertendæ huic interitum si paret, tunc omnino, ne omnes pereant, omnes resistere possunt. Deus enim ordinavit potestates, non ut mundum destruerent sed conservarent & sic Tyranno statum Reip. evertere nitenti omnino resistere licet, sc. qui arma in Rempublicam vertit, & subditos tanquam hostes suos persequitur *add. Carpz. d. I.* Ut ergo solus hic casus, quando felicet imperans ex principe fit hostis ad cognitionem fori humani, reliqui casus omnes in causis principum ad Reservatum Judicium Divinum remittendi sint.

§. IV.

Quæ hic dicta sunt de principe, illa suo modo ad patrem & Dominum in causis ad jus ipsorum Rectorum pertinentibus referri possunt, quatenus sc. & ipsis superioritas quædam eximia, partim ex jure Naturæ, partim ex jure Gentium & Civilis conceditur, ut jus Rectorum Grotianum omnino & hic locum inveniat, & parentibus quidem etiam morosis ac mirabilibus ut obtemperemus natura ipsa vult, quippe à quibus producimur & conservamur, obedientiam autem illam omnino ratione juris naturalis & divini eodem modo, ut obedientiam erga principem restringere simul-

simulq; ve hic superioritatem civilem excipere necessum habemus
sc. ut ad legibus prohibita non extendatur.

§. V.

Sed an patri me ad mala vi impellenti, aut injuste cum meo periculo me invadenti non resistere possim, sicut principi hic disqvirendum. Videtur eqvidem idem, qvod supra de Principe defendimus, hic affirmandum eo quidem magis, qvod vitam à pate habeam, quam à principe non habeo: Deinde qvod hoc casu familia capite suo privetur, sicut illo casu Respublica. Contrarium tamen hic statuere rationi conformius puto. Nam hic tantum malum non infligitur Reipl. ac in altero casu, nec patri tanta potestas in singulos ex familia qvanta principi in suos subditos, neque etiam vitam tam à patre datam, quam à Deo concreditam, habeo, nec ullum jus illam mihi afferendi patri relictum, ut ergo in injusta causa pater ut nocens potius quam filius innocens perendus sit. Nam concreditum hocce divinum mihi eo usq; conservandum usque dum ipse illud reposcat.

§. VI.

Sed qvid de patre proditore patriæ dicendum, poteritne & hoc casu à filio necari? Affirmo. Cum hoc casu & in principem hoc liceat, hac tamen limitatione, si facinus adhuc vult & nondum potuit perpetrare, scilicet ad Conservandam Rempublicam, cuius exitium hac ratione evitatur. Post commissum autem facinus nego, qvia tunc ratio & ita etiam dispositio cessat. Et sic simul qvæstio de patre bannito, an ille scilicet à filio juste occidi possit simul resolvitur, scilicet juste illud non fieri, hoc enim casu non fit ad evitandum malum perpetrandum, sed ad ultionem mali perpetrati, qvæ à filio contra patrem impie instituitur.

§. VII.

Hic in genere qværimus, an si à potestatis humanis licentia datur bannitos interficiendi, interfectoribus jus verum præstetur, etiam in foro privilegiato d'vino, ipsos interficiendi, an tantum impunitas inter homines. Hæc qvæstio multum disqviritur à Doctoribus. Qvoad forum humanum præcipue Germaniæ nostræ, impunitas occisoris banniti probatur formula Banni, qvæ sic se habet;

bet: Derowegen er in die Acht erklaret / aus den Frieden in Unsries
den gesetzet / sein Leib und Leben wie eines Vogels in der Lufft Ge-
derman gemein / und in denselben Gerichten erlaubt wird / daß er
ohne alle Straffe entleibet / und vom Leben zum Tode gebracht wer-
den. Chilian Rönig in tractat. Banni sub tit. Urthel und Erklärung
der Acht. Matth. Koler. p. i. decis. 108. n. 2. In Judicio autem Reservato
Divino occisorem hunc pœnæ omnino subjacere affirmat Covar. 4.
decr. 12. c. 7. n. 8. cum respectu illius occisoris privati delinqvens
hic potius à foro hoc, quam à manu occisoris pœnam expectare
debeat, cum minime consultum sit homini cuiusq; fac-
cere ad sanguinem alienum fundendum, nisi officii necessitate hoc
ipsi incumbat. Grot. l. 2. c. 20. n. 15. & qvod Christus monet, Matth.
7. 8. i. Periculum esse de aliis judicare, quia quale judicium in alios fe-
rimus nobis in paribus causis à Deo sit expectandum, omnino huc etiam
pertineat. Qvo collimat jus nostrum civile. l. 176. ff. d. Reg. Jur.
Ubi dicitur: Non est singulis concedendum, quod per magistratum pu-
blice potest fieri, nec eodem iure, pœna caret, qui hominem noxiū in-
terficit. l. 5. ff. ad Leg. Pompej. de Parric. l. 1. §. ult. ff. ad Leg. Cornel. de
Sicar. l. 38. §. 8. ff. ad Leg. Jul. d. Adult. l. 4. C. eod. Hinc non imme-
rito adstipulamur huic sententiae. Ut ita ad reservata divinæ ma-
jestatis & hic casus pertineat, si privatus Bannitum occidit, licet
in foro divino salvus non sit. Eandem tamen & hic, quam in
Præcedenti §. adjecimus, limitationem locum obtinere putamus,
nisi ad periculum futuri mali, qvod ex dilatione pœnæ oritur, evi-
tandum, hæc occisio fiat, tunc enim potestas humana censenda
est jus ac potestatem publicam privato concedere, ut bene mo-
net Grot. l. 2. c. 20. §. n. 2.

§. VIII.

Notum est præterea, Patrem qui adulteram filiam & adulte-
rum, aut Virum qui adulterum occidit, certis casibus Romanis le-
gibus non puniri l. 24. C. ad Leg. Jul. d. Adult. l. 20. l. 22. l. 32. cod.
Nov. 118. c. 15. cap. si vero X. d. Sent. Excomm. cap. inter haec c. 33. C. 2. Q.
ergo, an hic etiam in foro reservato divino salvus sit? Qvod etiam
negamus. Indulgent enim hac ratione leges humanæ dolori ipsius
pœnam, vitium autem non tollunt, qvod ad reservatum judicium
divi-

divinum hoc casu spectat. Scimus enim ultionem Deo non probari, quæ tantum animum dolentis exsatiat, sed illam ultionem, quæ ne imposterum talia fiant, cavet, & hæc posterior locum pœnis dedit. Unde optime Seneca l. i. de Nem. c. 6. Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur, revocari enim prærita non possunt, futura prohibentur. Unde talis ultio privata non rationem pœnæ, sed vindictæ habet.

§. IX.

Egimus jam de causis impunibilibus inter homines ratione peccantis, qui neminem habet, qui ipsum punire possit. Nunc ad alias causas, quæ ex alio capite impunibiles sunt, progrediamur, punimus scilicet ut superius diximus, non tam ut ulciscamur delicta perpetrata, sed ut caveamus de delictis perpetrandis, ne scilicet imposterum Reipl. damnum inferatur, punimus ergo actus Reipl. damnum inferentes. Quid autem de actibus internis judicandum? an illi pœnæ humanæ subjacent? an ad Reservata fori divini spectant? Per Actus internos intelligimus cogitationes deletabiles & concupiscentiales citra effectum. Et quærimus, an si postea ad notitiam aliorum perveniant, puniendi? Negamus cum Grot. l. 2. c. 20. 18. & Dn. Thomas. Jurispr. Div. l. 3. c. 7. n. 103. & quidem ex ratione superius addita, quia damnum Reipl. non inferunt: Et negativam hanc amplectitur ius nostrum Civile & Canonicum per Canonem illum notissimum: cognitionis pœnam nemo patitur l. 18. ff. de pœn. c. cogitatio 20. dist. 1. d. pœn. additur ratio à Jul. Clar. Prax. Crim. §. fin. q. 9. quia sola cogitatio non est delictum scilicet in foro externo aut respectu Reip. vel privati, & à Boeckel. publ. disquis. 4. f. 55. Quia propositum in mente retentum nihil operatur.

§. X.

Regulariter ergo verum manet, in foro humano actus internos quæ tales non esse punibiles Grot. l. 2. c. 20. §. 18. quatenus vero cum externis concurrunt illarumque causa sunt, determinant & augent pœnam, gravius enim omnino punitur, qui deliberato animo aliquid delinquit, & sibi delictum illud intendit, quam qui semel illud aut præter intentionem perpetravit, aut affectu

C

vel

vel dolore qvodam ad illud concitatus est, ut Carpz, aliquae Dd. in Criminal. suis passim hanc circumstantiam in decidendo, recte pro fundamento decisionum suarum ponunt.

§. XI.

Interdum etiam non quidem ipsi actus interni quâ tales, ut pote qui sub nullam humanam cognitionem cadunt, sed cogitationum aut propositi manifestatio, licet in actum nihil deductum sit, pœnæ humanæ subjicitur sc. in atrocissimis criminibus ad damnum Reipl. maximopere vergentibus. Ut in Crimine læsæ Majestatis *Dn. Thomas. d. l. §. 13.* Cui adhæret jus nostrum Civile *l. 13. pr. ff. de Calumn. l. 5. ff. d. Condict. ob turp. cauf. l. quisquis 5. pr. C. ad Leg. Jul. Maj. l. 7. C. ad Leg. Cornel. d. Sicar. l. 20. C. d. Furt. l. 5. C. d. Episc. & Cler.* Inter Atrocissima autem illa crimina recensentur partim à LL. partim à DD. Crimen læsæ Majestatis: Veneficii, Assassini &c. *Tabor. loc. comm. c. 44. d. affect. per Generalem tamen consuetudinem Germaniæ Pœna ordinaria & capitalis dicto casu in nullo crimine locum habebit; Tabor. d. l. Carpz. pr. Crim. p. 2. C. 71. n. 48.* nisi forsitan in Crimine læsæ Majestatis excipias casum, ubi reip. adhuc ex revelatis cognitionibus imminent dampnum *per. l. 5. C. ad Leg. Jul. ubi Imp. Arcad. & Honor. eadem se- veritate voluntatem sceleris, qua effectum hic puniri volunt.* Punit ergo forum humanum actus internos non ut internos, sed quatenus qualiscunque illorum manifestatio reipubl. perniciosa esse possit, idque non nisi in atrocissimis delictis, unde ad reservata divinæ majestatis hi merito pertinent, cum respectu Dei hi actus interni semper vitio laborent, quod confirmat illud Pauli: *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum nisi lex dixisset non concupisces.* Item effatum Salvatoris *Matth. 5. v. 28.*

§. XII.

Eodem jure estimandi sunt lapsus minutissimi, quos in ista hac naturæ conditione non datur effugere, quantumcunque attentionem quis adhibere instituat, sc. & hos in foro humano impunitibiles esse, quia naturæ humanæ sunt quasi inevitabiles, unde illud tam Philosophorum quam Theologorum; cognatum homini est peccare. Inde qui illa punit, obliviscitur & injuriam facit

facit imbecillitatē & infirmitati, qvæ omni humano generi communis est. Ut bene monet. Diodor. Sicul. I. 11. Unde recte Plutarchus in Solone: oportet legem scribi secundum id qvod obtineri potest, si qvis velit paucos utiliter non multos inutiliter punire, qvod etiam l. 4. ff. d. Restit. in integr. indicat Canone illo: *Minima non curat prætor.* Cum enim illa societatem humanam aut nullatenus aut parum lèdant, nulla est causa, cur talia peccata, non relinquantur Deo punienda, qvi & ad ea noscenda est sapiensissimus, & ad expendenda æqvissimus & ad vindicanda potentissimus.

§ XIII.

Huc etiam referri possunt pœnæ emendatoriæ, ut illas appellat. Grot. I. 2. c. 20. §. 20. sc. qvæ pro fine habent correctionem, ut qvi peccavit reddatur melior, etiamsi id forte aliorum non interfit, sc. qvando qvis se sæpius inebriat, rem familiarem non bene instituit, facultates suas consumit. Immisericors, illiberalis, aut ingratus est erga benefactores. Hæc enim exprobrationi & correctioni ministrorum Ecclesiæ in suggestu & loco confessionis, tanquam illorum qvi vice Dei & interna animi examinare debent, potius relinquentur, quam ut à Magistratu puniantur. Egregiam qvoad referendam gratiam & alias virtutes Seneca I. 3. d. Benef. c. 6. addit rationem, cum inquit res honestissima sit referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria; Ut ergo ea omnia ad Reservata Divinæ Majestatis recte referantur.

§. XIV.

Ad reservatum divinum judicium etiam vocamus delicta obscurissimæ indagationis, punitur enim aliquis ob læsionem Reip. & ut caveatur, ne amplius Resp. lèdatur, & membra ejus scandalizentur. Grot. I. 2. c. 20. §. 10. n. 6. in læsionibus autem adhuc obscuris vel dubiis scandalum aliis non datur, ergo cum ita qvis præter meritum contumelia affici possit, potius omittenda inquisitio, quam instituenda. *Satius enim est, impunitum relinqui facinus non centis, quam innocentem damnari.* l. 6. ff. d. Poen. Unde etiam ad juramentum purgationis non facile perveniendum in delictis, si enim delicta sunt leviora non multum intererit Reip. an puniantur,

tur, aut si de delicto commisso, (quod puniri Reip. intereat,) quidem constet, de Autore autem dubitetur, ac aliquis cum singulari aliorum scandalo ejus se admodum suspectum reddit, tunc ex presumptionibus & indiciis gravioribus quis puniri potest. *Carpz. p. 3. C. 116. n. 6.* levius tamen & mitius, quam si legitime & plene convictus & confessus sit. *Honded. Conf. 98. Jac. Menoch. C. 94. Carpz d. l. n. 57.* Satius ergo est, delinquentem mitiori poena afficere, aut civiliter impunem, foro divino relinqueret, quam illum ad juramentum purgationis adigere, & sic saepius perjuriis locum dare. Non enim delinquentes praecise puniendi, prout exemplis ex historia sacra illud probari potest.

§. XV.

Sed delicta graviora ut puniantur magis quidem Reipl. interesse videtur, quia societas humana maxime iis laeditur, unde etiam gravissimæ poenæ sc. ad destructionem totalem delinquentium vergentes, ipsis impositæ sunt, attamen eo major sollicitudo & moderatio in iis puniendis adhibenda est, praincipue cum ad sanguinem humanum profundendum tardiores esse debeamus. Atque in his nunquam, ob metum perjurii, ad juramentum purgationis deveniendum, argumento effati Christi, qui non diligit proximum quem videt, quomodo ille diligit aut timebit Deum, quem non videt; Neque etiam tortura quæ ad indaganda hæc crimina ab Ethnicis inventa est, non nisi gravissimis causis instituenda. *Carpz. Crim. Part. 3. C. 119.* Imo si de delicto inquisiti nondum coniecti sunt, etiam ob, graviora indicia poena licet leviori affici possunt (quod ut supra adduximus, potius & hic locum habebit) quam ut ad torturam procedatur, praincipue si inquisitus nondum plene sit convictus illum ad minimum eo usque deliquerisse vel delicto implicatum esse, ut ejusmodi cruciatum, quam tortura involvit, mereatur, de atrociori vero facinore adhuc insimuletur, simul quoque crimen tale sit cuius veritas & certitudo non ex nuda confessione dependet. Si enim nulla alia probatio præter confessionem gravissimis tormentis elicita adsit, quomodo judex certus erit, confessionem illam veram esse? omnibus ergo hisce casibus res ad Divinum forum potius rejicienda quam

quam periculum ineundem innocentem cruciatibus vel pœnæ subjicere, ex precepto Christi, qui voluit ut sinamus Zizaniam cum Tritico potius crescere, quam Triticum una evellere.

§. XVI.

Demum à pœna humana excipienda videntur delicta tam frequentia & inolita, quæ si pro merito punire velimus, prius Respl. exhaustur membris, quam extirparetur illud malum, & sic finis pœnarum cessaret, qui est conservatio Reipl. Hinc etiam in delictis à pluribus commissis, Respubl. contenta est, aliquos & autores punire, ne punitione omnium corpus Reipl. tot membris mutiletur, nisi hac ratione Reipl. æquale & gravius subsit periculum si pœna omittetur, ut in rebellionibus aliquot centuriæ hominum necatae per modum pœnæ sæpius leguntur. Add. Dn. Thomas. Jurispr. Div. l.3. c.7. §.12. & seqq. qui illud exemplo Medici partes humani corporis notabiles etiam cum periculo mortis resistentis illustrat, si scilicet majus citra resctionem sit periculum ut pars sincera trahatur. Huc quoque pertinet, si sine periculo Reip. Delictum licet atrocium, propter delinquentis autoritatem hactenus puniri non possit, quo casu sufficit imperantes displicentiam suam contestare, & ipsam pœnam foro divino committere, donec commodior ulciscendi occasio affulserit; quod Exemplum de Joabo qui occiderat Abnerum elegantissime declarat.

§. XVII.

Huc usque de delictis ad Reservata Divinæ Majestatis spectantibus nobis sermo fuit; Nunc de illis ratione pœnarum, delictis competentium, videamus. Scimus jus naturæ nobis dicere quid circa naturalia faciendum, & non faciendum sit, sed pœnam certam & limitatam factis moraliter turpibus non determinat: Dn. Thomas. d. l. §. 118. Q. ergo an & quatenus illa determinatio ad forum humanum spectat? in genere illud affirmamus, determinationes pœnarum non capitalium aut mortis pœnam inferentium arbitrio Majestatum, pro salute Reipubl. competere, de vita autem hominis disponere, Deus sibi videtur reservasse, nisi quatenus hoc expresse in certis casibus Magistris concescit, in illis ergo delictis, quæ Deus morte puniri ex-

presse voluit, e. gr. in homicidio manet imperio Politico exequendi potestas, similiter ex quibus praesentissimum Reipubl. posset oriri damnum, aliorum vitam periculo exponens, e. gr. in Delit. Etis militaribus, similibusque &c. Ubivero mortis poena ita de Jure Divino licita, determinatio generis mortis ad Majestatem pertinet, qui exinde duritiem circa genus mortis vel extendere, vel remittere potest. Qvoad extensionem tamen notum est poenas odiosissimas esse ac ordinarie cum charitate hominibus invicem conveniente pugnare. Grot. l. n. c. 20. & per consequens non facile extendendas. Cap. 22. Extr. d. Elect. in 6to Menoch. de præsumpt. l. 6. præsumpt. 4. n. 33. Carpz. pr. Crim. p. 2. C. 56. n. 32. p. 1. q. 15. n. 6. Sed an princeps bono publico illud exigente poenas ita extendere poscit, ut proportio, inter materiam delicti & poenam nulla videatur, merito disqvirimus? Ad affirmativam nos dicit, ratio prima poenarum, sc. salus Reipubl. & illa, quæ Grot. l. 2. C. 20. ad determinandas rite poenas examinari vult, sc. magnitudinem damni, frequentiam talium peccatorum, quantitatem concupiscentiarum & facilitatem operis, ut ita, licet interdum proportio Arithmetica delictorum cum poenis cesseret, Geometrica tamen nihilominus adsit, & hac ratione non extensio sed legitima determinatio poenarum appellari debeat. Unde venit, ut princeps alio tempore aut alio loco, aut alia persona peccante, delicto eidem diversam poenam imponere possit. Dn. Thomas. d. t. §. 119. Utrum vero constitutio de poena suspendii surum, pro hodierno statu Reip. longe à statu legis latet diverso, hisce quæ diximus conveniat, & pro refrænando hoc delicto adæquata sit, in medio relinquo; addendo tantum ex Carpz. l. 16. §. fin. ff. d. Pœn. adversus homines ferociores poenas duriores decernendas esse. Add. Carpz. pr. Crim. p. C. 77. §. 20. & seqq.

§. XVIII.

Potest igitur peccans modo gravius, modo laetus puniri, sed ad tertium innocentem poena hujus peccati à potestate humana transferri non debet vid. Deut. 24. v. 16. Est enim hoc reservatum Divinae Majestatis quando Genes. 7. v. 21. 22. Job. 7. §. 14. 15. 1. Reg. 11. v. 12. liberi ob delicta parentum supplicium sustinuerunt.

Deus

Deus enim, dicitur cum Grot. l. 2. c. 21. §. 14. Jus Dominii plenissimum habet, ut in res nostras ita & in vitam nostram, ut munus suum, quod sine nulla causa & quovis tempore auferre cuivis, quando vult potest, igitur si morte immatura ac violenta rapit, liberos Acanis, Saulis, Ierobeami, Achabbi, in ipsis fure Dominii non pœnæ uitur. Ac per hoc ipsum gravius punit parentes. Qvod etiam lapsus primorum, parentum nostrorum comprobat, per quem mors ad totum humanum genus & omnem Adami posteritatem pervenit, ut ex sa-
cris paginis patet. Non tamen semper Divina Majestas hoc ri-
gore juris sui uitur; Nam & Jure Divino cautum, qvod filius non
debeat portare iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii. Ezech.
18. v. 91. Qvoad potestates ergo humanas res salva manet, illas
sc. pœnas suas ad innocentes extendere non posse, cum desti-
tuantur plenisimo illo supremi Domini jure, qvod nulli nisi
Deo competit. Cui nostræ Assertioni Autoritatem conciliant,
Imperatores Arcadius & Honorius qvili. 22. ff. d. Pœn. iniquum pro-
nunciant, illum punire, qui non peccavit, cum peccata suos debeant
tenere autores, & ibi debeat esse pœna, ubi & noxia est. Ita ut pœna
ad hæredes transire non debeat. l. 20. & l. 26. ff. d. Pœn. Qvocum
consentient Philosophi Ethnici ferret ne, inquit Cicero ulla Civitas latorem ejusmodi legis, ut condemnetur filius aut nepos, si
pater aut avus delinqvisser? Exceptio tamen videtur esse in Cri-
mine lœfæ Majestatis, præcipue secundum jus nostrum Civile, in-
tuitu l. 5. C. ad Leg. Jul. Maj. ubi de perduellium parentum liberis
cautum, qvod paterno perire debuissent suppicio, cum paterni
h. e. hæreditarii criminis exempla in illis metuantur, sed cum hoc
per lenitatem imperatoriam moderatum sit, potius ad terrorem,
qvam ad pœnæ executionem spectare hæc ex videtur, ut Erudi-
te docet. Excell. Dn. Stryk. disþ. d. Imp. fact. Alien. c. 2. §. 28. Ut ita
hoc casu qvoad vitam assertio generalis Juris Civilis magis proba-
ta censeatur, filium sc. pro delicto patris non teneri. l. 2. ff. d.
Pœn. Unde & leges Romanæ prægnantem anteqvam partus ede-
retur suppicio afficere prohibuerunt l. 3. ff. d. pœn. l. 18. ff. d. stat.
hom. Qvoad famam autem & honores, in quibus liberi perduel-
lium in illa lege puniuntur alia hic ratio est, Civilem enim illa ra-
tio-

tionem habent, & hinc à capite Civit. omnino auffetri possunt Dn.
Ziegler. in Not. ad Grot. l. 2. c. 21. §. 13. Pufend. d. Jur. nat. & G. l. 8.
c. 3. §. 32. in fin.

§. XIX.

Prout extensiones ita & remissiones pœnarum non semper
& qvocunque modo potestatibus humanis liberæ sunt, interest
enim omnino Reipl. ne delicta maneant impunita. locatio §. Qvod
illicite ff. d. publ. & Veſtigal. Causa autem mitigationis rationabili
& sufficiente existente potest omnino judex ordinarius pœnam
ordinariam jure humano introductam mitigare imo etiam remit-
tere. Carpz. p. 3. C. 41. n. 22. nitens communis DD. schola. Secus
in delictis, in qvæ expressa lege divina pœna capitali animadver-
sum est. Ubi remissio pœnae capitalis soli Deo reservata censem-
da præcipue in homicidio doloso, in quo voluntatem suam Noa-
cho & ejus liberis significavit Deus Gen. 9. v. 6. Qvisquis effuderit
sangvinem hominis, ejus sanguis iterum effundendus est, ut
ergo pœna hæc ab humanis majestatibus remitti vix possit, nisi
citra certissimum Reip. periculum pœnam jure divino dictatam
exequi non valeat Dn. Thomas. l. 3. c. 7. §. 13. Hæc pœna gratiæ
ergo divinæ reservatur, cui & omnes actiones nostras remitti-
mus, & gratias debitas reponimus, qvod huic labori,
nostro jam sit finis,

QVæ Deus in terris solus sibi jura reservat
Collgis: & præstas facta beata Deo,
Gratulor, & toto lætus de pectore dico:
Servavit Numen fata beata Tibi.

Hocce augurio Nobilissimum Dominum Docto-
randum ex toto corde prosequi voluit

PRÆSES.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641293-p0027-3

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641293-p0028-9

DFO

Halle Diss., 1694



5b


VOM





Farbkarte #13

B.I.G.



Disputatio Inauguralis Juridica,
De
**RESERVATIS DIVI-
NÆ MAJESTATIS,**
Quam
DIVINA FAVENTE GRATIA,
Ex Decreto
Magnifici fctorum Ordinis,
IN ILLUSTRI FRIDERICIANA,
PRAESIDE
DN. HENRICO BODEN, JC.
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTORIS
BRANDENBURGICI CONSILIARIO CONSISTORIALI,
DUCATUS MAGDEBURGICI GRAVISSIMO AC ALMÆ
HUJUS FRIDERICIANÆ PROFESSORE JURIS
CELEBERRIMO,
PATRONO SUO DEVENERANDO,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN JURE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,
Ad Diem 28. Junii M DC XCIV.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS,
PUBLICO EXAMINI ~~SUBMITTIT~~
CAROLUS ADOLPHUS Redel/
Hallensis Saxo.
— — — — —
HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. SALFELD, REGIM. ELECT. BRANDENB. Typ.